



70

apb. 17

FACULTATIS JURIDICAE
DECANVS
CONRAD. WILHELM.
STRECKER

JCTVS

EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS
MOGVNTINI CONSILIARIVS REGIMINIS, PRAEFATAE
FACULTATIS ASSESSOR SENIOR, DECRETALIVM PRO-
FESSOR PVBLICVS ORDINARIVS, ET CIVITATIS
ERFORDIENSIS CONSVL PRI-
MARIVS.

L. B. S.



ERFORDIAE,
LITERIS HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

FACULTATIS IURIDICAE

DECANVS

CONRAD. WILHELM.

STRICKER

ICVS

INSTITUTI AC CENSURAE PRINCIPIS ELECTORIS
ACADEMIAE IURIDICAE REGIMINE PRAEFATUS
PACVATAE AETATE SENIOR DECETALIVM PRO-
FESSOR PUBLICVS ORDINARIVS ET CIVITATIS
ERFORDIENSIS CONSILIVM PRAE-
SIDIVS

J. B. J.



ERFORDIAE

PATRIS HERINGII, ACAD. TYNGOR.



Quodsi ullum juris argumentum multis difficul-
tatibus & obscuritatibus involutum est, mate-
ria servitutum, cui tanquam generi materia
fenestrarum, tigni immittendi, oneris ferendi,
& fumi inesse patet, ad eam classem meritò est referen-
da, quippe quæ tantis hinc inde tenebris obfuscata est, ut
quotidie novis litigiis ansam Advocatorum ingeniis ex-
ercendis amplissimum campum præbeat, & optimorum
judicum sententiam suspendat. Ex *L. 8. ff. si servit. vind.*
generale deducitur axima: posse quemvis in suo ædica-
re pro lubitu luminis habendi gratia, quod jus Roma-
num ex jure naturæ repetiit & confirmavit *L. 26. ff. de*
Dam. infect. Exinde sequitur: Quemvis posse in suo
pariete fenestras facere, quot & ubi velit, adeoque etiam
in prædia vicini prospicientes, licet nunquam ibi aperta
fuerint fenestræ & inde conspiciantur interiora domuum
aut hortorum vicinorum, vel aliud detrinementum per ac-
cidens

videns exinde sequatur, nulla nec immemorialis ob-
stat præscriptio, nisi à contradicente vicino probaretur,
quod iste vicinus voluerit aperire fenestras in suo parie-
te, & ei prohibitum fuerit & acquieverit isti inhibitioni
cum lapsu decennii, quia eo casu censetur acquisita ser-
vitus, ne possint ibi fenestræ fieri. Quamvis enim hæc
omnia extra dubitum posita sint, nihilominus tamen
non pauci reperiuntur maximi nominis jurisconsulti,
qui quoad fenestras adversus vicinum in suo pariete di-
rectas dissentiunt, DVARENVS scilicet *lib. 1. Annivers. disp.*
Cap. 33. CVJACIUS *lib. 1. Observ. Cap. 31.* BESOLDVS & alii,
asserunt enim incommodum id esse vicino & periculo-
sum, quia daretur ansa furandi causa descendendi in vici-
ni ædes; Ast id nihil movet, non enim quæritur, quid
commodum aut periculosum sit vicino, sed quid jure
quis possit ex libertate naturali, quam leges Romanæ
confirmârunt; Provocant etiam ad *L. 40. ff. de S. P. V.*,
ubi qui jus lumiuis immittendi non habuerunt, dicun-
tur nullo jure aperuisse cæcum parietem & fenestras
immisisse; verum lex ista de pariete utriusque vicini
communi intelligenda, intuitu cujus neutri Domino-
rum jus est, quicquam facere ac ne communem quidem
parietem reficere *L. 8. ff. de S. P. V.* Manet igitur his a-
liisque non obstantibus firma thesis: posse quemvis
jure naturali & Romano in suo ædificare liberrime vel
altius ædificando vel deprimendo ædificium vel fene-
stras tam prospectivas, quam luciferas ubi & quot usus
postulat, faciendo, nisi ad meram invidiam, æmulatio-
nem vel despectum vicini id fiat, quod in dubio non
præsumitur, interim tamen ex eadem libertate natura-
li

li vicino permittitur, fenestram vicini in muro suo per
contra ædificationem in suo fundo obscurare, potissi-
mum si invidiam & æmulationem animadvertat, quæ
exinde colligitur, si quis ex propria area lumen habere
potest, & tamen fenestram in aream vicini aperiat, imo
omnia ædificia ad æmulationem fieri intelliguntur, quæ
parum profunt ædificanti, vicino verò nocent. GAIL 2.
O. 69. n. 26. MASCARD *Concl.* 620. n. 5. Præterea non per-
mittitur, ut versus loca publica & Vniversitatis, ut sunt
Scholæ, Seminaria clericorum, Curia, ac domus oratio-
num fenestræ aperiantur vel eorum luminibus officia-
tur, sed Magistratus cujusque loci hic providebit, ne
damnum patiantur ista loca, Ecclesiæ enim & Scholæ uti-
que damnum sentient, si prospicientes per tales fene-
stras turbare facile possunt sacra peragentes, aut doctri-
næ deditos. Porro ex hæcenus dictis facile & tuto col-
ligi potest, quod in communi pariete neuter Domino-
rum altero invito fenestras immittere possit, cum in re
pari causa prohibentis est potior, & hoc eo usque proce-
dit, siue paries sit communis pro diviso, siue pro indivi-
so, focio haud licitum est aperire fenestras, etiamsi do-
mus ejus aliunde non posset habere lumen. Unde au-
tem cognoscatur paries communis, vel alterutrius pro-
prius, adeunda cujusque loci statuta vel consuetudines
sunt attendendæ, his deficientibus, res conjecturis est de-
finienda, de quibus fuse agit MENOCH. *tr. de præsumpt.*
lib. 6. præf. 73. de hac servitutum materia in specie oneris
ferendi, tigni immittendi, fumi aliarumque occasione
supra citatæ L. 8. ff. *f. servit. vind.* publice ex cathedra
fufius discurret

NOBILIS ET CLARISSIMVS
DOMINVS
JOANNES BENJAMIN FRIDE-
RICVS ASSMANN.

Qui natus est in oppido Mega-Erica in terris Schwartzburgicis sito. Patrem colit JOANNEM FRIDERICVM ASSMANN, Medicinæ Practicum & Pharmacopolam, Filium TOBIAE HENRICI ASSMANN, olim Pastoris ejusdem loci meritissimi; Matrem vero MARTHAM SYBILLAM WOLFIN, JOANNIS ANTONII WOLFII, Senatoris ibidem filiam. Hi parentes eum & pietate & litteris, quibus puerilis ætas impertiri debet, primo Rectori Scholæ Mega-Ericensis AVGVSTO GEORG. SENNEWALDIO & publice & privatim, deinde Rectori Lycei Sondershufani M. VOLCKMANN REIFIO erudiendum tradidere. Hinc se in illustre Gymnasium Quedliniburgense contulit, ibique dulces doctrinas ex ore illius Rectoris clarissimi M. JOH. CASP. EVERARD. WINECKEN avide hausit. Tandem ad musas Jenenses accessit, jurisprudentiæ operam daturus. Ne vero illotis manibus ad eam accederet, inprimis Philosophorum præcepta addiscenda suum esse putavit. Igitur Celeberrimus JOACH. GEORGE DARIES sibi præceptorem in Philosophicis & Mathematicis elegit. In jurisprudentiæ studio vero lectionibus Virorum illustrium & Celeberrimorum DITMARI, STENGERI, BROKESII, HELFELDII, ENGAVI & BVDERI frequens adfuit

adfuit. His probe imbutus progressus est ad juris ipsius applicationem, & litigantibus in Dicasteriis Schwartzburgicis, præsertim in Regimine Schwartzburgico-Sondershusano patrocinio suo adfuit. Tandem Princeps Serenissimus Schwartzburgicus HENRICVS piæ memoriæ ante quinque fere annos Assessorem Consistorii & Præfectum Eblebiæ ultro clementissime eum designavit. Quibus muneribus, quo se non indignum probaret: Propterea literis ad nostram Facultatem directis honeste petiit, ut admitteretur ad specimina à Candidatis jurium edenda, Laudabili ejus petito Ordo noster annuere non dubitavit, communicavit ei pro more consueto textus ex utroque jure resolvendos, quos ita est interpretatus, & ad ipsas quæstiones in examine riguroso propositas tam bene & erudite respondit, ut non solum unanimi consensu ad ulteriora specimina fuerit admissus, sed etiam supremis jurium honoribus dignus fuerit judicatus. Proinde publica est ei aperta cathedra, ex qua proximo die Mercur. 16 Septembris 1761 lectionis cursoriæ loco *L. 8. ff. si servit. und.* interpretabitur, & hac finita Disputationem inauguralem

DE
QUALITATE NEGATIVAE EJVSQVE
PROBATIONE

AD
L. 23. C. de probat.

publice

publice defendet, Quos actus solennes, ut Magnificus Dominus Vniversitatis Rector, nec non Academiae Proceres ac Cives Praesentia sua ac frequentia splendiores reddere non dedignentur, hisce officiose ac amice rogantur, invitantur. Publ. sub Sigill. Facult. Jurid. d. 13 Septembris A. O. R. M DCC LXI.



